



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

15. S. Theresia

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Instructio meritoria.

Fugere faminas non possumus semper; conversari tamen liberius, expedit nunquam. Ne inquinemur à pice, ne & à curiositate, ac falsitate rapiamur huius infausti sæculi, corpus durius habere incipiamus. Non causemur molliciem, aut habitus rebelles. Nulla mollicies, vel habitus tam radicans, quem sacrum sui odium mutare, & enervare ac evellere non potest. Poterit immutare & nos, modò manum applicemus. Igitur præveniamus labendi pericula, & ne unquam incidamus, per unam hebdomadam quotidie *aliquem ex psalmis penitentialibus* devotè oremus. Non incidet in foveam, cui ubique comes est humilis poenitentia.

Solemnitas Seraphicæ Matris

S. Theresiæ ex Mariano Ordine de Monte Carmeli.

EXHORTATIUNCULA I.

O Charitatem S. Theresiæ! Hæreticorum, aliorumque peccatorum tenebras perpetuis deflebat lacrymis, atque

atque ad placandam Divinæ ultionis iram voluntarios proprii corporis cruciatus irato Domino pro eorum salute obtulit. Imò purgatoriis incendiis ad extremum usque iudicii diem cremari petiit, modò vel unus se converteret ad Deum peccator. Qualis, ò dilecte! hic ardor? Sancti, perfecti amoris. Estne & in nobis?

Instructio meritoria.

Erit, si vel hodie statuamus, nullam posthac transigere diem sine speciali, & expressâ peccantium, & neoconvertendorum memoria. Id præstemus sollicitè ad illum versiculum: *ψ. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. R. Et cum miseris peccatoribus. Amen.* Pro horum salute offeramus *Cursum Marianum. In Manibus Mariæ verè reposita est nostra salus. Recordatur miseria nostra. Et quem ipsa vult, salvus erit, & à quo vultum avertit suum, vadit in interitum.* S. Bonaventura.

II.

A Mor probatur ad lapidem Lydium, firmatur inter adversa, & contraria.

B b 2

ria.

ria. Probata est & S. Theresia, dum experta sibi adversarios potentes sæculi viros, & principes. Non timuit Virgo. Omnia & majora pati parata pro Sponso, & hoc Crucifixo. Fili! ad omnia vix non tremur. Vivimus plerumque, non, ut patiamur, sed ut oblectemur. Quæ hæc vita? Flamma nutritur oleo, generosus animus patientia. Multa sustinere ab homine si non recusemus, parum est; lætari etiam oportet, quo nobis molestior, vel infensior ille.

Instructio meritoria.

Mutemus vitam, & aut cellæ, aut pulpito, vel (quod sanctius) ipsi cordi inscripta portemus S. Theresiæ verba, ac desideria: *aut pati, aut mori.* In Christiana fortitudine ut emineat Marianus, & insignis Ordo de monte Carmeli, opera hodiernæ diei donemus Mariæ per manus S. Theresiæ. Non perditur, quod Ordini tam sancto impenditur.

III.

Mors omnium terribilissimum, etiam Sanctis. Ecce! Virgo tam sancta, SSS. Trinitatis electissima sponsa!

sa! Ecce! Mater hæc Seraphica contremiscit tota, seque semper miserrimâ peritura morte existimat, quamdiu à cœlesti vitæ æternæ fonte abesset. Dilecte fili! quid agant jam peccatores, quales nos sumus?

Instructio meritoria.

Scio, quid agendum. S. Theresia docuit. Votum emisit (ò quàm arduum inferiori homini!) efficiendi semper, quidquid perfectius esse intelligeret. Votum hoc non petit à nobis Deus, benè firmum propositum, omnia nostra, quæ hodie assumenda, sacra exercitia peculiari fervore, recollectione, & accuratâ inchoandi, & finiendi attentione. Gratia Dei nobiscum, si hoc observaverimus. Verùm ut & frigidum cor nostrum Angelus S. Theresiæ suò ignitò amoris transfodiat jaculò, in privatò quòdam cubiculò flexis genibus, aut officiò minore de eadem Sancta (si tamen ad manum:) aut Lytaniis majoribus Seraphicam venerabimur Matrem. *Non recusabitur labor, ubi*

amor est; Quoniam qui amat, non laborat. S. August.

Festum S. Galli Abbatis Alemanniae Apostoli Spiritu Dei plenissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Quanta in nonagenario senecione vitae sanctioris documenta! Vitam duxit perquam arduam, quia rigidissimam, assiduò jejuniò, & ferreâ catenâ suam excrucians carnem. Non nocent jejunia vitae. Mille prostravit gula; neminem temperantia. *Qui abstiniens est, adjiciet vitam.* Eccl. 37. A paradisi gaudiis per cibum cecidimus: Ad hæc, quantum possumus, per abstinentiam resurgamus. S. Greg. *Instructio meritoria.*

Sobrietatem, atque temperantiam ut perfectè possideamus, hodie extra communem refectioem neque de esculentis, neque poculentis aliquid admittamus, nisi aliud suaserit infirmitas. In honorem quatuor virtutum Cardinalium vid. *Prudentiae, Justitiae, Fortitudinis, & Temperantiae* oremus quatuor decades
ex